



24

BREVIS DE
ANGELIS SVBSTANTIIS
NON MERE SPIRITVA-
LIBVS.

AD

MATTH. XXII, 30. MARC. XII, 25. LVC. XX, 35. 36.

COMMENTATIO.

M D CC XXXVII.

30.



B. L. S.

Accipe B. L. specimen aliquod exegeticum inter otia nostra academica enatum. Periractauimus in eo momentum, quod a foro nostro non penitus abhorret, quodue ita est comparatum, ut non videatur curatiore indignum examine. Non sumus ex eorum numero, qui se homines esse negant, atque nunquam in deuia aberrare posse gloriantur. Amabimus atque grata venerabimur mente illos, quibus datum est, nos, ubi errauimus, in rectum veritatis tramitem reducere. Datum autem id ipsum est omnibus, qui cum eruditione solida modestiam atque humanitatem habent coniunctam. Exposuimus de angelis, ita quidem, ut ab omnibus remoti praediciis soli veritati operam dederimus. Quam feliciter id a nobis peractum sit, iudicium esto penes illos, quos iudices nostros postulauimus. Nam id genus hominum non curamus, qui liuori student atque famam suam non nisi in calumniis & praeposteris querunt iudiciis. Hec praemittere placuit. Vale.
Dab. die XIII. Maii. clb lō cc xxxvii.

C. D.



C. D.

*De Angelis substantiis non mere spiritualibus ad Matth. XXII,
30. Marc. XII, 25. Luc. XX, 34.*

§. I.

LOca classica sola ad probanda sacra dogmata adhibenda, atque ex iis cætera loca exponenda esse, nemo temere inficiabitur. Vtinam omnes, quotquot ad sacras accedunt litteras, perspicerent ac probe ponderarent, quantum situm sit in hac veritate momentum, non certe tot exstarent, qui sensui sacræ scripturæ manifestam haud raro vim inferrent atque impedirent, quo minus certa eaque immota fidei analogia constituatur. Loca classica autem dicuntur nobis ea sacræ scripturæ loca, ex quibus dogma aliquod sacrum tamquam ex sede propria cognosci, diiudicari, & apodictice demonstrari potest.

§. II.

Qua definitione præmissa, dispiciamus, vtrum loca *Matth. XXII, 30. Marc. XII, 25. Luc. XX, 34. sq.* locis classicis in doctrina de angelis sint adscribenda. Euicimus autem illud ipsum procul dubio, quando ex iis cum angelorum essentiam, tum existentiam apodictice demonstrari posse, ostendimus. Priusquam vero hoc opus adgrediamur, probe

obseruari volumus, vnicum locum biblicum posse duarum; vel etiam plurium doctrinarum sedem esse propriam, id quod tantum abest, vt aliquis in dubium vocare queat, vt potius nobiscum facere debeat, si vel primis, quod aiunt, labiis degustauerit theologiam. Absit itaque, vt, dum ex adductis locis dogma de angelis velut e sede propria cognosci posse contendimus, eo ipso negemus, haberi ibidem sedem propriam dogmatis de resurrectione mortuorum.

§. III.

Angelorum existentiam non heri aut nudius tertius a variis homuncionibus audacter in dubium vocatam, atque hanc in rem de contortis multorum sacrae scripturae locorum interpretationibus cogitatum esse, tristis iam dudum nos edocuit experientia. Vnus instar omnium, *BECKERUS* ille, in scenam prodeat, qui non erubuit animo ad fraudem composito contendere, angelos esse non nisi phantasmata, deque iis nullum prorsus in sacris pandectis reperiri vestigium, ex quo eorum existentiam colligere tuto possumus. Quam ob rem varia somniauit, atque angelorum nomine vel prophetas; vel *Phantasias* & imaginationes; vel etiam praeuos adfectus venire arbitratus est. Ego vero, quamuis lubenter largiar, plura *Scr. S.* loca iure meritoque *BECKERO* opponi posse; nullus tamen dubito, loca §. II. excitata ita comparata esse, vt non omnino ceteris palmam concedant. Tam enim luculenter ea distinguunt angelos ab omnibus aliis rebus creatis, tam claris verbis eorum naturam significant, vt nil supra. Et certe nescio quid tum regerere potuisset aduersarius, quando hocce Christi effatum ipsi fuisset oppositum. Absonum foret dicere, prophetas heic intelligi. Nonne enim prophetae ipsimet sunt in numero hominum a Christo resuscitandorum? absonum porro foret adfirmare, phantasias innui atque imaginationes. Nam quis, nisi mente

te captus, eo delabatur, vt homines in vita beatorum futuros esse *ως φαντασιω* contendat? Absurdissimum denique foret, beatorum cohorti prauas tribuere adfectiones; vel eas ipsas hoc nomine sibi fingere, quod sint illæ, quas resuscitaturus sit seruator optimus. Dicendum igitur est, angelos esse substantias, quæ vi suæ *differentiæ specificæ* ab omnibus aliis seiungi debent atque distingui. Quodsi enim beati in resurrectione futuri sunt *ως αγγελοι*, Matth. XXII, 30. cet. beati non erunt angeli ipsi, alias enim simile & adsimilatum vnum esset idemque. Videbit igitur quilibet, quod exsistentia angelorum apodictica quadam demonstratione ex locis nostris comprobari queat, & quod per consequens illa hoc nomine ad loca classica sint referenda. At non angelorum duntaxat exsistentia ex iis patet, verum etiam eorum essentia & natura, id quod in præsentī ex instituto ibimus probatum.

§. IV.

Matthæus cap. XXII, 30. ita habet: *Εν γαρ αναπασει ετε γαμωσιν, ετε εκγαμισκονται, αλλ ως αγγελοι τε Θεοι εν ζωνω εισι*, Marcus cap. XII, 25. hæc ita exprimit: *Οταν γαρ εκ νεκρων αναπασωσιν, ετε γαμωσιν, ετε γαμισκονται, αλλ εισιν ως αγγελοι οι εν τοις ζωνοις*. Lucas denique cap. XX, 35. 36. sequentem in modum scribit: *οι δε καταζωθοντες τε αμνος εκεινε τυχειν, και της αναπασεως της εκ νεκρων, ετε γαμωσιν, ετε εκγαμισκονται. ουτε γαρ αποθανειν επιδυνανται*. ΙΣΑΙΤΕΛΑΟΙ γαρ εισι.

§. V.

Videntur nobis hæc loca, si inter se conferantur ac æqua & ab omni præiudicio remota mente ponderentur, angelorum naturam ita exprimere, vt præter spiritus adhuc corporibus iisque glorificatis gaudeant. Enarrant euangelistæ disputationem Christi cum Sadducæis de resurrectione mortuorum. Negant hanc illi, ideoque accedunt ad seruato-

rem optimum, ipsique dubium mouent, cui, ex eorum quidem opinione, satisfieri non posset. Producent in medium septem fratres, qui omnes, subcisiuo tamen tempore, vnam eandemque duxerant vxorem in matrimonium. Quo facto tandem animo ad fraudem composito quærunt: *Εν τη αναστάσει, τίνος των επτα εσαι γυνη; παντες γαρ εχον αυτην.* Matth. XXII, 28. Probe hęc methodus Sadducæorum in disputando obseruanda est. Adsumunt ad tempus hypothesein de resurrectione mortuorum, atque absurdi quoddam ex ea deducunt, vt eo ipso illam destruerent. Dicunt nimirum: Ponamus, resurrectionem mortuorum non esse fabulam, verum firmo stare talo; ponamus, futurum esse, vt tandem aliquando animabus hominum sua restituantur corpora, qualis quæso confusio oriretur inter septem fratres, qui, quam adhuc essent in viuus vnam eandemque sibi adiunxerant vxorem? Nonne quilibet eorum suam sibi poscet coniugem, & cui dabitur? Hoc ipsum igitur momentum erat, ex quo obiectionem suam formabant Sadducæi contra mortuorum resurrectionem. Christus autem in primis id agit, vt tam crasso errori obuiam iret, spectantque huc sequentia: *Παναθε, μη ειδotes τας γραφας, μηδε την δυναμιν τς Θεου. Εν γαρ ενωσεται ετε γαμοσιν, ετε εκγαμιζονται.* cet. Nihil certe aliud exprimere vult Iesus, quam hæc: o peruersi homines, quam stultam fouetis de resurrectione opinionem? Erratis, qui scripturas legitis quidem, at non intelligitis, & nihil imaginantes supra eiusmodi res corporeas, quas videtis, nescitis virtutem dei, qui mirabilior est in his, quæ non videntur. Hic vbi vices nascentium ac morientium, coniugium adhibetur ad propagationem generis humani. Cæterum vbi iam erit absorpta mortalitas, & homines erunt *spirituales*, quod futurum est in resurrectione, neque ducet quisquam vxorem;

rem; neque nubet vlla (*). An nescitis, corpora redunita animabus omnis corruptionis esse expertia, contra ea glorificata? Cogitate de angelis, & scitote, fideles tempore resurrectionis futuros esse *ως αγγελοι*. (siue vt Lucas exprimit: *ΙΣΑΓΓΕΛΟΙ*) Manifestum itaque grauisimum errorem Sadducæorum circa mortuorum resurrectionem facit Christus, vi cuius eo procedebant, vt veritatem hancce ponderosissimam non tam in dubium vocarent, quam penitus negarent. Et qua ratione refellit Christus aduersarios suos? qua via incedit? Primo statim loco id agit, vt nudam sistat absurdissimam sadducæorum opinionem, quando ait: *εν γαρ ανασσει οτε γαρμωσιν* cet. deinceps operam nauat, vt falsæ ac erroneæ, veram ac certam notionem status piorum in resurrectione substituat: *ως αγγελοι* inquit *τα Θεα εν κρανω εισι*. Hæc propositio posterior indicat rationem prioris. At quæ ratio, si angelos volumus esse entia mere spiritualia? Vix enim ac ne vix quidem persuadere nobis possumus, Sadducæos ad silentium a Seruatore nostro fuisse redactos, quando ille ab entibus mere spiritualibus ratiocinatus fuisset ad entia non mere spiritualia: Neque ita argumentatus est Seruator. Quicumque in resurrectione neque matrimonia contrahunt; neque nubunt, illi sunt *ως αγγελοι*. Atqui pii in resurrectione neque nubunt cet. Ad maiorem enim quod adinet, non rite procedit, nam hac ratione etiam diaboli possent dici, quod sint *ως αγγελοι τα Θεα*, a quo tamen Christus abhorret. Minor autem ita est comparata, vt, vbi illius probationem suppeditare velis, semper abs te impingatur in sanioris logices præcepta, semper *peritio*, quam aiunt, *principii* committatur. Etenim si quæris: cur pii in resurrectione non ducunt vxores, neque nubunt? respondere debes, quia erunt *ως αγγελοι* cet.
Si

(*) conf. paraphrasin in nouum testam. quam dedit Desid. Erasmus. ad h. l.

Si pergis, cur pii erunt *ως αγγελοι*? iterum respondendum tibi erit: quoniam neque vxores ducunt; neque nubent.

§. VI.

Itaque potius sequentem in modum refellit suos aduersarios Seruator noster:

Quicumque *εν αναστασει* sunt *ως αγγελοι τς Θεου* cet. illi neque nubunt; neque vxores ducunt. Atqui pii in resurrectione sunt *ως αγγελοι τς Θεου* cet. ergo pii in resurrectione neque nubunt; neque vxores ducunt. Scopii nostri ratio exposcit, vt paullo adcuratius versetur in huius argumenti examine, vt mentem Christi eo penitius inspicere valeamus. Maior eiusdem Phrisitio ita sese habebat: *Quicumque in tempore resurrectionis sunt (*) ως αγγελοι τς Θεου, ii neque nubunt; neque vxores ducunt.* Jam si adsumamus communem nostrorum theologorum sententiam, sequens propositio huic erit æqualis: *quicumque tempore resurrectionis sunt sicuti entia mere spiritualia, illi neque nubunt, cetera.* Sane hoc tam certum, quam quod certissimum, nec arbitror a Sadducæis vnquam negatum fuisse. Spiritus enim sunt entia omnis expertia materiæ, & per consequens nullum omnino inire queunt matrimonium. Jam vero posita hac maiori propositione, videamus, quo modo ad eam quadret minor, siue subsumtio, quæ eiusmodi tenoris erat: *atqui pii in resurrectione sunt ως αγγελοι, κ. τ. λ. siue vt entia mere spiritualia.* Subiectum sunt pii resuscitati, vel si mauis, animæ fidelium cum corporibus suis redunitæ; *predicatum* continetur his verbis: sunt sicut angeli, siue ex communi opinione, entia absolute spiritualia. Tempus adsimilationis determinatur, quando dicitur: εν

(*) vel si mauis *erunt.* Temporum enim enallagen & in primis eam, qua præsens pro futuro ponitur, frequentissimam esse in sacris, quis est, qui nesciat? Legi heic potest b. SEBAST. SCHMIDII *orat. de σωτηριαι. dissertation. academ. car. p. 711.*

εν αναστασει, in resurrectione. Ante hoc tempus animæ sunt a suis separatæ corporibus, animæ, inquam, quæ æque ac angeli sunt spiritus. Jam rogo te, vbi maior deprehenditur similitudinis gradus inter homines pios & angelos, vel eo statu, quo omnibus sunt destituta corporibus; vel quo gaudent corporibus? Nonne fateris ipsemet, & ais, in primo statu? Cur vero *εν αναστασει* demum resuscitati erunt *ως αγγελοι*? Paulo clarius rem exprimam. Ex communi sententia id adfirmare debemus: in resurrectione homines, siue entia non mere spiritualia, sunt *ως αγγελοι*, siue entia mere spiritualia. Num absolute ita loqui possumus? nonne magna intercedit discrepantia inter hæc duo, inter entia mere simplicia & inter entia non mere simplicia? num valet consequentia ab his ad illa? Sane Sadducæi ad Christum, sicuti iam monuimus, eo accedebant animo, vt inuenirent, quo erroris cuiusdam eundem arguere possent. Inuenissent autem, nisi antea nouissent, angelis quoque corpora competere eaque glorificata (*). Etenim *talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis prædicatis*, & versa vice. Conuenire ergo hæc cum illis debent, alias propositio sibi constare nequit. Ego vero, qua ratione in propositione illa: *entia non mere spiritualia sunt sicuti entia mere spiritualia*, subiectum respondeat prædicato suo, & prædicatum subiecto, perspicere non possum. Itaque refutasse videtur Christum aduersarios distinguendo inter entia crassis prædita corporibus, qualia nos in hac mortalitate gestamus, & inter entia corporibus glorificatis ornata, quæ ad finem matrimonii obtinendum haud sunt aptata. At nondum rem omnem confectam esse ais. Similitudinem enim angelorum atque piorum resuscitatorum in eo positam arbitraris, quod, sicuti illi, ita

B

nec

(*) Hoc scire potuerunt ex traditione Judæorum, licet vel maxime aduentum suum doctrinæ huic denegauerint.

nec hi nubant, nullaue ineant matrimonia. Pace autem tua fiat, vt, textum nostrum sequentes, adsertum tuum improbemus. Quæ enim nos vrget necessitas, vt statuamus, similitudinem hominum resuscitatorum eorumque beatorum nisi in eo consistere, quod cessent apud illos matrimonia (*)? Aliud plane edocent omnes textus circumstantiæ. Remota enim stultissima Sadducæorum opinione de statu hominum tempore resurrectionis, absolute & sine vlla restrictione Christus contendit, quod futuri sint *ως αγγελοι τῶ Θεῷ ἐν ἔργῳ*. Non ita procedit Seruator optimus, quemadmodum iam monuimus, *quia tempore resurrectionis matrimonia inter homines cessant, ergo sunt ως αγγελοι τῶ Θεῷ (**)*; verum inuersa ratione, nimirum sequentem in modum: *quia homines resuscitati sunt ως αγγελοι τῶ Θεῷ, ergo matrimonia inter illos cessant*. Ne igitur eo procedamus audaciæ, vt restringamus sensum Scripturæ Sacræ ac determinemus voces, quibus vtitur spiritus sanctus, vbi ipse id ipsum non fecit. Absolute profatus est Iesus Christus: homines pii *ἐν ἀναστάσει* sunt *ως αγγελοι τῶ Θεῷ ἐν ἔργῳ*, absolute ergo & nos hoc adfirmemus par est (***) . Quam ob rem haud dubitamus sequentem

(*) Certe si æqualitas hominum comprehensorum cum angelis in hoc tantum consistat, quod nulla ineant matrimonia, non cedant, cetera, sequentem in modum Christum argumentatum esse, dicendum foret: Qui sunt *ισαγγελοι* h. e. qui non ducunt vxores, non nuptum dant, illi non ducunt vxores, non nuptum dant, A. E. conf. omnino SEB. SCHMIDIVS in *or. at. de ἰσαγγελοις*, *dissert. academ.* p. 717. lq.

(**) Conf. §. præced. vbi hæcce concludendi ratio a nobis iam examinata est.

(***) B. SEBAST. SCHMIDIVS loc. excit. p. 718. ita Christum argumentatum fuisse contendit: Qui in vniuersum, quantum ad viuendi genus adinet, sunt *ισαγγελοι*, æquales angelis; illi sane non ducunt vxores, non nuptum dant, non vltra mori possunt. Atqui filii resurrectionis, quantum ad viuendi genus adinet, cetera. ergo cet. Sed sine dubio metus, ne contradicat (beatus vir) aliis Scripturæ Sacræ locis, illura eo perduxit, vt verba: quantum ad viuendi genus adinet, ex proprio suo ingenio textui adderet. Non eam ob rem virum de ecclesia Christi immortaliter meritum audeamus aduicere; veneramus & cineres eius ad cineres vsque. Id tantum dicitur,

tem in modum ratiocinari: *Si in resurrectione demum homines erunt* *ως αγγελαι τς Θες*, sequitur, *ut angeli gaudeant corporibus glorificatis*. Rationem consequentiæ ex hæcenus dictis luculenter demonstrari posse existimo. Nam 1) tempus, quo similitudo illa inter beatos homines & angelos obtinebit, est tempus *αναστασεως*, siue illud tempus, quo animabus sua restituentur corpora 2) Propositio illa: *pri sunt sicuti angeli Dei*, absolute adsumenda est, adeoque non restringenda. 3) denique, non rite procederet, quantum nos quidem perpicimus, conclusio syllogismi initio huius *Si*. adducti, si angelos entia dicamus mere spiritualia. Quis enim ita inferret: entia absolute immaterialia nulla penitus contrahunt matrimonia, ergo nec quoque entia corporea.

§. VII.

Stabilire hanc nostram sententiam de angelis ex alio adhuc momento possumus, quod itidem textus noster suppledit, quodue vel primo debuisset poni loco. Suadet nimirum particula *ως*, ut a communi theologorum opinione hæc recedamus. Particulam illam non nudam hoc in loco similitudinem indicare, verum potius æqualitatem quamdam naturæ, patet ex parallelismo. Conferre iuuabit euangelistam Lucam cap. XX, 34, vbi phrasis *εστι ως αγγελαι τς Θες εν ζεων*, ita exprimitur: *ΙΣΑΓΓΕΛΟΙ γαρ εστι*. Jam si hanc vocem *ισαγγελος* euoluamus,prehendimus, compositam esse eandem ex *ισος* & *αγγελος*. Vox *ισος* non nudam denotat similitudinem, verum æqualitatem quamdam innuit. Nimirum *generatim* significat æqualem quocunque æqualitatis genere. *Speciatim* vero vsurpatur

B 2

α) de

mus, quod non longe recedat vir summus a nostra sententia atque quod non dubitemus, accessisse illum penitus ad nostras partes, nisi meru aliis oraculis sacris contradicendi agitatus fuisset, quæ hodie, quod ad hoc momentum cyanuit, *conf. §. IX. seqq.*

a) de dimensionibus æqualibus, qua longitudinem, latitudinem, altitudinem. Conf. *Apocal. XXI, 16.*

β) denotat æqualem quantitate. vid. *Matth. XX, 12. Luc. VI, 34.*

γ) æqualem veritate ac consensu, idemque est atque consonantes, consentientes. conf. *Marc. XIV, 56. 59.*

δ) denique æqualem natura & dignitate simul, euolue, si placet, *Jo. V, 8. Philip. II, 6. (*)*

Discipiamus nunc, quæ significatio ad locum nostrum optime quadret. Prima exulat, quia longitudo, latitudo, altitudo nihil adtinent ad angelos; idem dicendum de altera; nam nec quantitas huc spectat. Tertia quidem obtinere potest, at haud vnice, id quod ex circumstantiis textus colligimus. Etenim Christus, quando rationem, cur matrimonia sint cessatura tempore resurrectionis, reddere vult, ait, *homines sunt ἰσῶγγελοι*. Jam si tertium eligis significatum vocis ἰσῶς, hunc habebis sensum: homines vnam eandemque veritatem cum angelis profitentur, atque perfecte consentiunt inter se inuicem. Num vero consensus ille rationem inuoluit, cur *εν αναστασει* matrimonia esse desinunt? nonne pii iam in hac vita eundem colunt deum, quem angeli adorant? nonne eandem profitentur veritatem? Possuntne præterea matrimonia obesse huic consensui hominum cum angelis? Super est ergo quarta eaque vltima significatio, qua ἰσῶς æqualitatem naturæ, quam sequitur æqualitas dignitatis, ex-

(*) vid. b. STOCKII *clavis ling. sancti. noui test.* sub voce ἰσῶς. add. b. SEBAST. SCHMIDII *oratio de ἰσῶγγελοι*, *Dissertation. academ. car.* p. 714. 715. loca, quæ vir summus contra nos videtur excitasse, nos haud feriunt. Christus enim apud Lucam non de æqualitate saltim *donorum*, quam accepturi sunt filii resurrectionis cum angelis, loquitur; verum de ipsis angelis atque hominibus. Nondicit: æquales erunt angelis homines qua dona; sed absolute: *ἰσῶγγελοι γὰρ εἰσιν*, & quinam) filii resurrectionis.

exprimit. Hæc illa ipsa est, quæ non potest non menti feruatoris nostri optime respondere, quando de beatis contendit, quod futuri sint *ισαγγελοι*, siue eiusmodi entia, quæ tandem aliquando naturam angelorum induent, atque vna eademque cum iis gaudebunt dignitate. Ponas igitur, angelos esse substantias mere spirituales, homines a Christo ad vitam æternam reuocati non poterunt adpellari *ισαγγελοι*. Etenim ad naturam hominis *essentialiter* pertinet corpus, quod restituitur animæ in resurrectione. Præterea animæ hominum sunt spiritus finiti, angeli itidem, adeoque iam ante resurrectionis tempus beate defuncti possent vocari *ισαγγελοι*. At cur Christus, qui est veritas ipsa, contendit: eos *εν αναστασει* demum futuros esse *ισαγγελους*? Sane, quid heic nobis opponi posset, omnino nescio. Excipis tamen fortassis atque inquis: vox *ισος* significat etiam æqualem dignitate, & hunc sensum in præsentis loco habet. Sed quæso, adtendas. Vbi quis præstantior natura, ibi is erit quoque præstantior dignitate. Fac igitur, angelos esse præstantiores natura, quam homines, illi non possunt non & dignitate hos superare. Christus eadem gaudet cum Deo patre natura, ergo Christus eamdem cum Deo patre possidet dignitatem. Vides itaque, quod non amplius habeas, quo pedem sistas, ac quod nullibi, ad quod confugere possis, præsidium inuenias (*).

B 3

§. VIII.

(*) ALPHONSVS TOSTATVS ad *Matth. part. sext. fol. 119.* iam dudum aliquam sentit difficultatem in voce *ισαγγελος*, quæ receptam premit opinionem. Æqualitatem putat querendam esse non in *tota conditione essendi*; verum saltem in eo, quod, sicuti angeli non exercent venerea, neque concupiscant, ita nec futurum sit, vt fideles in resurrectione venerea exercent atque concupiscant. Sed hæc iam in præcedentibus refutauimus, quando diximus, nostrum non esse restringere ac determinare sensum Sacræ Scripturæ, vbi id ipse Spiritus Sanctus non fecit. Cetera sententia, qua affirmatur, æquales fore pios angelis in *merito & premio essentiali beatitudinis*, iam ab ipso TOSTATO profligata est, Quod GEORG. PA-

§. VIII.

Sed quemadmodum sententiam nostram hactenus expositam, inlar problematis exegetici, considerari velimus; ita si, quod non speramus, fuerimus decepti, nos non errasse in fundamento salutis, cogites. Quid enim obest fundamento salutis, tribuere angelis corpora eaque glorificata? Ne autem quis obganniat, nos contradixisse aliis oraculis sacris vel ex turpi quadam ignorantia, vel ex execrabili & abominanda animi malitia, operæ pretium faciemus, ac præcipua de angelis scripturæ loca ea, qua fieri potest breuitate sub examen conciliari queant, tentabimus. Duplicem eorum classẽ constitinere liceat. Altera ea sacrarum pandentiarum loca comprehendat, quæ magis nostræ, quam receptæ, fauent sententiæ; altera ea in se contineat effata, quæ nostræ potius, quam receptæ opinioni aduersari videntur.

§. IX.

Ad primam classẽ, quæ ea sacræ scripturæ loca complecti-

SOR *in lexic. in nou. test.* p. 6. existimat, vocem ἰσχυροί similitudinem saltem indicare cum angelis, eo quod Mathæus particulam ως adhibuerit, tam leue est, vt refutatione vix indigeat. Obseruamus potius, particulam ως non tantum nudam similitudinem; sed & interdum æqualitatem exprimere. Ne autem aliquis nos sectatores æterni euangelistæ SIEGVOLOKII, siue KLEINNICOLAI esse existimet, etiam atque etiam rogamus. Longe, quod publice profitemur, absumus ab huius hominis figmentis ac somniis. Licet enim ille in *sterno euangelio* MDCCV. edito cap. XIII. p. 112, sqq. & in *Vindiciis contra D. Neussen. part. II. cap. 2. §. 3. p. 119.* nobiscum adfirmet, homines aliquando æquales futuros angelis, nec hos præstantiores illis; haud tamen eo quis delabatur, vt exinde colligat, nos cæteras eius exofculari atque fouere opiniones, quas recte cum aliis respuimus & auertimur. Loca, quæ æqualitati angelorum opponi solent, sunt sequentia: *Ebr. I. 4. §. Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32.* Sed si quis in ea curatius paulo inquirat, nobis haud sunt inimica. Etenim etsi vel maxime largiamur, angelos esse præstantiores hominibus *ciatoribus*; non tamea idem de hominibus *comprehensioribus* concedere debemus. Pro nostra sententia pugnamus §§. VI. VII.

plectitur, quæ magis nostræ, quam receptæ fauent sententiæ, in primis spectant adparitionum angelicarum relationes. Nimirum id dicitur in sacris angelus κατ' ἔξοχην, quod adparuit forma quadam corporea. Evolue, si placeat, *Genes. XIX.*, I. vbi dicitur: postea venerunt Sodomam שני המלאכים duo hi angeli, scilicet ii, quorum capite præcedente mentio facta fuerat. Nolumus in præsentii disceptare, vtrum tres deitatis personæ; sed adsumamus nunc eorum opinionem, qui præter angelum increatum duos alios angelos creatos adfuisse, existimant. Hos angelos habuisse corpora extra omnem positum est controuersiam; spiritus enim sensus tangere nequit. Dicuntur autem hi, qui adparuerunt Lotho, κατ' ἔξοχην angeli, ex quo sequentis propositionis veritas elucebit: *Illi, qui adparuerunt Lotho, & qui præter spiritum intelligentem & corpore quodam erant præditi, fuerunt angeli.* Obiicere videris, alterum tamen angelum λογον ασαρκον fuisse, qui etiam habuit corpus, nec tamen verus fuit angelus. Sed ambabus λογος ασαρκος potissimum eam ob causam heic angelus vocatur, quoniam corpus angelicum adsumerat. Alter itaque angelus corpore indutus, dici potest angelus absolute, seu tale ens quod per suam essentiam constat ex spiritu & corpore; alter sub certis circumstantiis, scilicet, quia adparuit forma angelica. Sequitur locus *Judic. V.*, II. vbi id saltim monemus, angelum illum, qui sermones miscuit cum Gideone, fuisse iterum λογον ασαρκον. Si queras ex nobis, cur adpellatur angelus, tum optime responderi putamus; quia sub forma adparuit angelica, quæ admodum diuersa esse debet a forma hominum mortalium. (*) Alius locus huc faciens occurrit *Luc. I.*, 26. fqq.

(*) Non nescimus rationes, quas theologi nostrates suppeditant, cur Christus dicatur ange-

sq. vbi angelus Gabriel dicitur visitasse Mariam ex mandato diuino. Maria certe agnouit, hunc qui adparuit ipsi, fuisse angelum. Non autem fertur obstupuisse, quod angelus potuerit corporis formam induere; sed saltim de eius sermone. *Διαταραχθη επι τω λογω αυτα. (*)* Plura eiusmodi scripturæ loca addere possemus, si necessitas id exposceret. Quodsi vero quis dicat, nos locis hæcenus in medium prolatis nihil plane certi euincere, eidem haud subirascamur oportet. Permittat autem ille, vt eodem, quo ille, iure fruamur. Etenim non perpicimus, qua ratione loca adducta nostræ magis, quam communi atque receptæ aduersa sint sententiæ.

§. X.

Ad alteram dictorum biblicorum classẽ pergimus, vbi ea loca occurrunt, quæ primo intuitu nostræ magis, quam receptæ opinionari videntur contraria. Sentio nimirum quosdam insurgere contra nos, dicentes: diaboli sunt quoque angeli, quamuis mali; illos autem substantias esse mere spirituales, vel ex eo discimus, quod non vnicus saltem eorum, sed tota omnino legio vnus hominis corpus occupare possit. *Marc. V, 9.*

angelus? Nimirum quia ille in redemptione humani generis exinanitus & tanquam minister quidam admodum humiliter obediens patri cælesti factus est. conf. *FLACII clauis script. sacre. part. I. sub voce angelus p. m. 39.* Non audent reiicere hæc rationem, subscribimus e contrario illi quam habentissime. Id tantum contendimus, non ob stare, quo minus & ratio valeat a nobis exhibitæ. Præterea si locum excitatum ex libro iudicium penitus inspiciamus atque paulo curatius examinemus, communis theologorum ratio haud eo quadrare videtur. Etenim sermo, quem miscet ibidem angelus increatus cum Gideone, ita est comparatus, vt illi ipsi non tam qua ministro dei patris, quam potius qua omnipotenti deo competat. Cessat ergo hæc similitudo illa intercedens inter Christum atque inter angelos.

(*) Nullibi ex sacris demonstrari potest, quod angeli, qui adparuerunt in forma corpora, corpus adsumferint; nec vnicus adferri locus potest, quo euinci posset, angelos, qui adparuerunt, corpus iterum deposuisse suum. Cur ergo nos tot tantisque difficultatibus inuolui patimur? Cur entia multiplicamus præter necessitatem? cur præiudicatis opinionibus regimur? Quemadmodum angelus Gabriel nunquam dicitur adsumisse corpus, sed saltim missus a deo; ita nunquam deposuisse corpus suum fertur, sed discessisse dumtaxat a virgine Maria, exequuto antea mandato diuino.

V, 9. Quod si igitur corpus haberent diaboli, ad tantum eorum numerum recipiendum vix ac ne vix quidem sufficeret corpus humanum. Sed triplici ratione huic dubio obuiam ire liceat. *Primum* quidem repetimus, quod iam antea obseruauimus: corpora scilicet angelorum toto cælo differre a corporibus hominum viatorum. Hæc sunt crassa; de illis eiusmodi quid prædicare non licet; constant enim ex subtiliori quadam, immo ex subtilissima materia (*). *Deinde* diabolis corpora glorificata tribuere nefas est, amiserunt enim ea procul dubio, quum a deo deficerent. Quare nec tuto ab angelis bonis ad malos & versa vice concludimus. Instas, & ais: si ad essentiam angeli etiam corpus pertinet, sequitur, vt diaboli non sint angeli, quoniam eodem sunt destituti. At vero nondum victas tradimus palmas. Etenim nondum concessimus, diabolos nullis plane corporibus esse instructos, denegauimus iisdem corpora duntaxat glorificata, qualia habent angeli boni. *Postremo* autem ad id velimus attendi, ad *obsessionem corporalem* non necessario requiri, vt diabolus intra hominis; vel alius animalis corpus sese contineat. Sufficit, si diabolus illud in sua habeat potestate, ita quidem, vt dirigere valeat pro lubitu, cruciatibus vehementibus adficere, vexare, animamque impedire, quo minus corpus sibi destinatum in vsus suos adhibere, eoque tamquam organo suo & instrumento vti queat (**). Et quid tum restet dubii, quando hæc nobis dantur, non videmus.

C

§. XI.

(*) Tunc itaque nobis demum hic Marci locus opponi posset, si conditio & quantitas corporum angelicorum ita esset determinata, vt corpus humanum recipiendis pluribus corporibus angelicis esset incapax.

(**) Interdum vero & corpus a diabolo, permittente deo, inuaditur, & ab eo ita possidetur, vt inuito homine in eo & per illud operetur. doloribus quoque variis quoque illud adficiat, aliaque ratione vim suam atque potentiam demonstret. Et hæc est obsessio corporalis. Sunt verba viri etiam post fata mortalitatis celeberrimi JO. FRANC. BYDDEI in *theolog. dogmat. libr. II. cap. 2. §. 39. p. m. 395.*

§. XI.

At, inquit dissentientes, ne canas triumphum ante victoriam. En alia loca, quæ te in fugam dare possunt. Et quæ sunt illa? Euoluitur, ni fallor, caput primum epistolæ ad Ebræos, eiusque versus 14. alta voce recitatur. Sed nolite me damnare ante auditam causam. Pace vestra dicam, me iam dudum legisse ac relegisse verba excitata, numquam vero aliud quid didicisse ex iis, quam quod angeli sint *πνευματα λογισμα*, quo ipso tamen nondum præcise omne corpus iisdem denegatur. Sæpius homines in sacris litteris vocantur animæ. Quis autem eo delabatur, vt concluderet, homines esse substantias simplices? *Πνευματα* ergo vocantur angeli, quia præter corpora subtiliora per essentiam suam habent adhuc spiritus, quemadmodum homines animarum nomine veniunt, quia constant corpore organico & anima rationali. A potiori autem fieri denominationem, quem fugere potest (*)?

§. XII.

Pergunt aduersarii nostri, quos tamen colimus & amamus, atque excitant, quod excitari solet, Christi effatum *Luc. XXIV, 39.* vbi aperte omnino negatur ab eo, cuius in ore nulla vnquam fraus reperta est, spiritum nec carnem nec ossa habere. Ex hisce verbis sequens nascitur ratiocinium: Quodcunque est spiritus, illud nec carnem nec ossa habet. *Luc. XXIV, 39.* Atqui angeli sunt spiritus, *Ebr. I, 14.* ergo angeli nec carnem nec ossa habent. Ego vero, licet maiorem, vi

(*) Tropum illum, quo *pars pro toto* ponitur atque *synecdoche partis seu membri* in scholis dici solet, frequentissimum esse in sacris, nemo temere negabit. Exempli instar esse potest *Gen. II, 7.* vbi homo dicitur factus *anima viuens*, quis eam ob rem homini verum denegabit corpus? confer. plura apud *GLASSIUM* in *philologia sacra, rhetoric. sacr. tract. I. cap. 17.* add. *FLACIUS* in *clauæ Ser. S. Part. I. voc. anima.* cct.

vti par est, concederem, non tamen causam meam perdidissem. Nam ex ea nondum inferre licet, quodcunque nec carnem, nec ossa habet, illud omni corpore destitutum est. Alias enim ignis & aqua corporum nomen non mererentur. Ad minorem quod adinet, iam iam eidem satisfactum a nobis esse puto §o. præcedente. Limitanda scilicet illa est, & ita constituenda: Atqui angeli, qua alteram eorum partem sunt spiritus, cetera. Atque hac ratione totum argumentum, salua nostra sententia concedimus (*).

§. XIII.

Præter hæc oracula sacra prouocari quoque solet ad *Coloss.* I, 16. vbi per Christum creata omnia dicuntur, tum

C 2

vifi-

(*) Celeb. J. TH. CANZIUS in *iurisprudentia theog. seu de ciuitate dei scilicet* II. cap. 3. §. 48. p. 166. circa idem effatum Christi *Luc.* XXIV, 39. doctissime verus est, atque monstrat, illud non ferre sententiam illam, qua spiritibus finitis, inter quos angeli referuntur, corpora quædam adiudicantur. Christus itaque, inquit acutissimus ille philosophus, non ex eo, quod spiritus corpore generatim destituatur, veritatem suæ resurrectionis probat; sed ex ea ratione, quod spiritus careat tali corpore, quod ipse apostolis ostendit, scilicet humano, quinque vulneribus adfecto, omnibus lesu Nazareni ante mortem obseruatis criteriis dotato. Adicit statim in nota: Christus his verbis non desinit spiritum. Si enim omne id, quod carne & ossibus vacuum est, spiritus est, erit & aqua spiritus. Sin ergo aliquid, quod carne & ossibus destituitur, potest habere corpus, poterit & spiritus habere, non obstante Christi responso. Immo ob eam ipsam causam, quod apostoli, conspecto seruatore, genium adesse putabant, certum est, tum temporis creditum, genios in hac terra operari, adparere. Nihil inuenimus omnino in hisce verbis, quod nobis non vehementer adideat, nisi forsitan illud, quod innuere videntur, angelorum corpora diuersa esse a corporibus hominum glorificatis. Sane loca §. IV. exhibita, non permittunt, vt a nostra recedamus sententia. Christus procul dubio discipulorum suorum capti sese adcommodauit. Putabant illi πνευμα βλέπειν, non angelum. Ergo Christus ex illo, non ex hoc capite eosdem refellit, dum ait: πνευμα σαρκος και οσσεων ουκ εστιν. Nullo certo fundamento innituntur, quando huic propositioni, sequentem substituitimus: αγγελος σαρκος και οσσεων ουκ εστιν. Forte aliquot sibi adparuisse spectrum existimabant discipuli Iesu, quemadmodum factum fuerat, quum seruator adhuc esset in viuis. conf. *Matth.* XIV, 26. Quicquid tandem rei sit, vix vllum præsidium in hoc loco euangelicæ Lucae inueniunt nostri aduersarii.

visibilia, tum inuisibilia. Per visibilia res corporeas, per inuisibilia autem (seu *corporea*) res omnes expertes materiae atque spirituales intelligi, monent omnes, quibus angeli displicent corporei. Verum enim vero regerimus heic omnino, quod inuisibilia ea etiam includant, quæ sensus non tangunt, licet vel maxime non penitus sint immaterialia (*). Quamobrem neque hic locus Paullinus; neque alius obstat sententiæ nostræ, nec cogit nos, vt a nostra nos dimoueri sententia patiamur. Ab inuisibilitate enim angelorum ad remouenda ab ipsis corpora non valet argumentatio. Eamdem igitur, quam dedimus, interpretationem esse legitimam, eo minus dubitamus, quo magis §. IV. & sequentes aliam ventant ac remouent.

§. XIV.

Dubium tandem ipsimet mouent theologi nostrates celeberrimi ex Pf. CIV, 4. vbi de omnipotente creatore affirmatur, quod faciat *angelos suos רוחות, ministros suos ignem flammantem*. Constat enim HVGONEM GROTIUM ad *b. l.* per *רוחות* intelligere ventum; siue aerem, quam in rem ad scholas Pythagoræ atque Platonis æque ac ad Judæos & Christianos veteres sese refert. At vero nolumus hancce controuersiam facere nostram. Id saltem obseruamus, locum excitationum nihil aliud indicare, quam celeritatem ac penetrationem angelorum summam per omnia corpora. Exprimuntur hæc duæ angelorum adfectiones per duo symbola ab aere & igne desumpta, quæ certe ita sunt comparata, vt rem quam optime exhauriant, quemadmodum experientia tot vicibus comprobatum dedit. Quo minus autem vox *רוחות* heic significet *spiritus*, prohibent verba hanc immediate excipientia, quibus dicitur: *ministros suos facit ignem flammantem.*

(*) v. g. exhalationes odoriferæ, calor, aer, fluidum magneticum cetera,

tem (*). Ita, quantum nos quidem perspicimus, omnia co-
harent; nec necesse erit negare, neque psalmum, neque
Paullum in *epist. ad Ebr.* I, 7. ad angelos respexisse. Quibus
positis, iterum iterumque confirmatur sententia, quæ ange-
lis, vi suæ essentiae, eiusmodi corpora, quæ magna prædi-
ta sunt celeritate ac penetratione intima, adiudicat (**).

§. XV.

Vides itaque, benevole lector, quod nos permouerit, vt
a communi omnium fere theologorum sententia discesserim.
Noli autem eo progredi, vt nos incusare audeas crimi-
nis, cuius non sumus capaces, scilicet, quod contemtui &
despectui aliorum velimus exponere receptam de angelis
opinionem. Præterea scias, quod nullus sit fidei articulus,
qui fundamentum salutis concernit, quem reiicere ac negare
religioni nobis non ducamus. Quodsi vero nullam velis au-
dire excusationem, tuoque nos percutere anathemate, iu-
uabit coronidis loco in rem nostram pauca adiicere.

§. XVI.

Angelos esse corporeos, opinio fuit antiquissima (**).

C 3

No-

(*) Hæc ratio est, cur eorum non amplectamur sententiam, qui per vocem מלאך
naturam angelorum spirituales exprimi putant, quemadmodum per ignem flam-
mantem corpora ipsorum subtiliora intelligunt. Interim si quis est, cui hæc nostræ
preferenda videtur opinio, cum illo non disceptabimus. Componi enim facile
poterimus.

(**) Nos equidem hand fugit, ex virtute penetrandi, quæ propria est angelis, peti argu-
mentum pro immaterialitate eorumdem. conf. b. BALTHAS. MEISNERI *philos.*
sohr. part. I. sect. 4. p. 1103. Verum quemadmodum corpora subtiliora poros cras-
siorum penetrare possunt, vt v. g. ignis ferrum, ita nullam inuenit repugnantiam,
si idem adstruamus de angelorum corporibus subtilioribus, quamuis vel maxime a
tali corpore, qualis est ignis, discrepent. Et quis est inter mortales, qui omnes a-
ngelorum species eorumque naturas perspexerit? Christus post resurrectionem etiam
habebat corpus glorificatum; de celeritate autem eiusdem atque penetratione sum-
ma in poros corporum edocemur ex *Jo. XX. 19.* de angelis conf. *Matth. XXVIII.*
3. cetera.

(***) *SIXTVS Senensis in biblioth. sancti. libr. V. adnotat. 8. p. 329.* adnotat, primos
fuisse scholasticos, qui spiritus existere docuerunt nullis profus corporibus destinatos.

Nolumus iam Platoniorum aliorumque hominum gentili-
um mentionem facere. Id saltem obseruare liceat, nos
non posse suffragari *Abrah. Calouio* (a), quippe qui originem
huius erroris (ita enim hocce opinionem vocare ipsi placuit)
a Pythagoricis & Platoniceis deducit, qui dæmonia sua definie-
bant, quod sint *animalia corporea, aerea* (b). Etenim vix mi-
hi persuadere queo, agnouisse paganos ex solo rationis lumi-
ne angelorum existentiam. Veri admodum simile est, eos
hancce doctrinam accepisse a Judæis, quamuis negare non
audeamus, illam valde ab iis corruptam esse (c). In sce-
nam potius prodeant *PHILO & JOSEPHVS* (d) iudæi homi-
nes, ex quorum scriptis posteritati relictis coniectu haud est
difficile, non insolitum fuisse inter iudæos, angelos statuere
corporeos. Nec erubuerunt priorum quatuor sæculorum
patres celeberrimi eandem exosculari sententiam, vt *JV-
STINVS MARTYR* (e), *ATHENAGORAS* (f), *IRENÆVS*
(g), *CLEMENS ALEXANDRINVS* (h), *TERTVLLIANVS* (i),
EVSEBIVS (k), *LACTANTIUS* (l), cet. quibus ex sæculo
sexto addi potest *SVLPICIUS SEVERVS*, seu si mauis, *SEVE-
RVS SVLPICIUS* (m) alisque. Dolemus autem, hocce patres
fere

(a) in *Consideratione Arminianismi*. fol. 160.

(b) *ATHANASIUS* proxime abest ab hac definitione. Ita enim *libr. comm. essent.*
tom. I. p. 392. definit angelum, quod sit ζων λογικον, αυλον, υμολογικον,
αδανατεον.

(c) *conf. IO. FRANC. BVDDEVS in theol. dogmat. libr. II. cap. 2. ad §. 55. p. 432.*

(d) in *antiquitatib. iudaic. libr. I. cap. 4.*

(e) in *apolog. II. pro Christian. p. 11.*

(f) *legat. pro Christ. p. 100.*

(g) *aduers. hæres. libr. IV. cap. 7.*

(h) *stromat. libr. V. p. 650. edit. POTTERIANÆ. pedag. libr. III. cap. 3. in fine. p.*
260. strom. libr. III. p. 538.

(i) *de habitu mulier. Cap. II. de uelant. virginib. Cap. VII. qui adduxit ibidem instar ar-*
gumenti locum ex I. Cor. XI, IO. contra Praxeam. p. 409.

(k) in *Præparat. euangel. libr. V. cap. 4.*

(l) instituit. diuin. libr. II. cap. 14.

[m] in *hist. sacr.*

fere omnes, premendo vestigia philosophorum gentilium, interdum, sicut & heic, dedisse fabulas; quæ tamen ita comparatæ sunt, vt non omnem tollant ipsius rei veritatem. Non abs re erit hisce omnibus adiungere verba, quæ fecit **LVDOVICVS VIVES** (*). *Augustinum inquit, sensisse angelos & demones corporibus esse præditos, legentibus eius opera, istud videlicet & de natura demonum, & de genesi ad litteram, certius est, quam vt pluribus ostendi debeat; nec ex aliena sententia tot locis loquutus est, vt Lombardus dicit quosdam putare, sed ex sua ipsius, sequutus non pudendos auctores, primum Platonicos omnes, deinde Originem, Lactantium, Basilium & consensum fere suo tempore scribentium. MICHAEL PSELLVS de demonibus, interprete FICINO, oportet enim, ait, vt diuinus adserit Paullus, spiritus ministros, qui mittuntur, corpus habere, quo moueantur gradumque sistant, palamque adpareant. Et postea Augustinus angelis corpora tenuissima tribuit, quæ visum omnem frustrentur, ad agendum apta non ad patiendum (**).* Sed hæc non eo fine addu-

[*] in *schol. super August. [de ciuitate dei] cap. XXIII.*

[**] Miramur omnino, existisse etiam inter viros celeberrimos, qui iam dudum immortalitatem nacti sunt, qui operam suam in eo collocarunt, vt patres veteris ecclesiæ angelos non corporeos credidisse, demonstrent. Primum quidem dicunt, quod vocabulo *σωματος* sint vsi in significatione latiori, pro *substantia* vere subsistente. Deinceps, quod sæpe ex aliorum mente loquuti fuerint. Tertium, quod non intellexerint corpora propria, sed ad tempus adsumta. Denique quod non loquuti sint absolute, sed respectiue. *εν συγγυσει προς Θεον.* Ad primum quod adtinet, damus lubenter, interdum vocem *σωμα* apud patres idem denotare ac *substantiam vere subsistentem*, quæ significatio tum maxime obtinere videtur, quando deo *σωμα* adscripserunt. Nec repugnamus, alterum patres excusandi modum esse legitimum; licet ille ad Augustinum viæ adplicari possit. Definit autem ille *libr. VIII. de trinitate cap. 16. δαιμονες*, quod sint *genere animantia, animo passiva, mente rationalia, corpora aerea, tempore aterna.* Quamuis enim vel maxime Augustinus Apuleii Madaurenfis, arque Porphyrii mentem expresserit, non tamen ab his villo modo dissentit, verum potius eorum verba facit sua. Tertium & quartum quod concernit non audemus penitus reicere. Nihilominus non possumus

adduximus, vt sententiæ nostræ nouam conciliemus auctoritatem recensque præsidium; verum vt quilibet intelligere possit, quod illa non heri; aut nudius tertius orta sit, acvt quilibet, qui omnis generis calumnias in eandem effutire non erubescit, agnoscat, se pietatem, quam debet antiquitati Christianæ non vno nomine violare. Ne vero opinionis nostræ fautores habeant, quod mirentur, cur scilicet ad concilium Nicænum idque secundum non prouocauerimus; legant quæ hanc in rem dixit b. *FRIDEMAN. BECHMANNVS* (*), eosque auctores ad quos nos ablegat b. *CHRIST. KORTHOLTVS* (**).

§. XX.

Hæc sint, quæ de angelis substantiis non mere spiritualibus hæc vice edisserere constituimus. Potuissimus varia, quæ pro nobis pugnant argumenta philosophica addere; verum studio hæc omisimus, ne quis in eorum numero nos ponat, qui res reuelatas & fere rationis lumen fugientes, cum rebus ad forum philosophicum spectantibus confundere dicuntur. Hoc interim ingenue fatemur, argumenta illa ex ratione petita nequaquam aduersari sacris oraculis; sed mirum in modum conspirare cum iisdem, atque difficultates omnino grauissimas iis ponere ob oculos, qui receptam opinionem, angelis cuiusuis generis corpora denegantem, sequuntur. Omnes ii, quibus sana & sobria philosophia curæ est cordique, intelligent nos, nobis etiam tacentibus. Conferre interim iuuabit duumuiros *IO. PETR. REVSCHIVM* (***) atque *J. TH. CANZIVM* (****). TANTVM.


sumus quin vehementer contendamus, patres re vera angelis tribuisse corpora, etiam qua eorum naturam. Vnico id sufficiat comprobasse exemplo omni exceptione maiore. Somnauerunt plures veteris ecclesiæ patres, *angelos bonos virginum specie captos cum iisdem coiuisset, & ita e caelis in terram cecidisse*. Jam rogo te, qua ratione nunc absolues patres? Possuntne spiritus virginum specie capi? possunt ne spiritus rem habere cum mulieribus, atque sexum suum propagare per concubitum? Lege, si non displiceat, disputationem, quam nuper sub præsidio viri summe reuerendi *IO. GE. WALCHII* Jenæ pro cathedra defendit *IO. ACHAT. FELLX BIELCKIUS*, de *Clemente Alexandrino eiusque erroribus*. cap. III. sect. 2. §. 6. p. 78. sqq. vbi obseruatu haud profus indigna deprehendes.

(*) ad *Hutterum* loc. V. *quæst.* II. §. 7. p. 276. sq.

(**) in *hist. eccles. sac.* VIII. sect. IV. cap. 3. §. 3. p. 314.

(***) in *synt. metaph.* §. 1113. sqq.

(****) de *civitate dei*, sect. II. cap. 3. §. 13. sqq. p. 152. sqq.



99 A 6985

ULB Halle 3
002 823 829



Rha ✓





24

BREVIS DE
ANGELIS SVBSTANTIIS
NON MERE SPIRITVA-
LIBVS.

AD

MATTH. XXII, 30. MARC. XII, 25. LVC. XX, 35. 36.

COMMENTATIO.

M D CC XXXVII.

30.

